Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1067
Quelle:
Copyright:

In aliis quibusdam peccat Codex. *Fol.* 156. p. 2. *Lectiones* VIII. *in festiuitate beati Benedicti*, cum subsequo prolixo Sermone. *Lectiones* hae depromtae sunt e *Dialogorum Gregorii M.* L. II. edit. *Maur.* T. II. *col.* 208. Sermo vero, utut ἀδέσποτος, est *Odonis* II. Abb. *Cluniac.* a. 942. defuncti, extatque in *Bibl. PP. Lugd.* T. XVII. *n.* III. p. 263. hoc initio: *Festiua beatissimi Benedicti sollempnitas christo Domino propiciante* &c. *Fol.* 194. *Epistola albini* (Alcuini) *abbatis ad Karolum imperatorem de septuagesima sexagesima et quinquagesima*, una cum *Caroli Responso*, prout extant in edit. *Ratisb.* 1777. T. I. P. 1. p. 85. Initium prioris: *Benedictus dominus deus pater* &c. Alterius: *Karolus — Peruenit ad nos epistola missa* &c. *Fol.* 229. *Sermo Sancti Maximi episcopi.* Rescribe *S. Leonis Papae;* est enim Sermo hujus XLII. *de Quadragesima* V. incipiens: *Apostolica Dilectissimi doctrina nos ammonet* &c. In universum tota haec Collectio a parte sua *aestivali* abjuncta multum cum *Homiliario*, quod ab *Alcuino*, jubente *Carolo M.* collectum saepius lucem adspexit, convenit.

CCCCXLVII.

R. 3305 Codex membraneus lat. Sec. XI. refectus tamen et subpletus quibusdam locis Seculo seq. Folior. 238. f. eleganter scriptus et rubricis distinctus, sed usu aliquantum tritus *Homiliarium* est quadragesimale pertingens a *Dom. in Septuagesima* usque ad *Pascha*, ad quod contribuerunt PP. sequentes: *Gregorius* M. *Augustinus*, *Ambrosius*, *Petronius* hic dictus *Episcopus Ueronensis*, *Leo* M. *Maximus*, *Johannes Chrys.* *Hieronymus* et *Beda* permixti. Atque hic generatim observandum est, quando in Rubricis ejusmodi Collectionum occurrit *Unde supra*, vel *Ejusdem*, non illico id referendum esse ad Autorem, sed saepe intelligi Lectionem Evangelicam, quae pluribus Homiliis exponitur. Quod porro Collectionem praesentem commendat, et dubio procul Lectorem eruditum jam advertit, nomen est *Petronii.* Nihil hic de *Bononiensi*, quem tamen eloquentiae ratione confundi a Literatoribus cum nostro putem; *Veronensem* habemus Praesulem ordine XXXI. post medium Seculi V. *doctrina*, ut ait *Ughellius* T. V. *col.* 695. *et eloquentia illustrem*, quemque *Martyrologium Rom.* ad diem 6. *Septembr.* commemorat. Scriptorum ejus, quod sciam, nihil hactenus in publicum notum fuit praeter priorem ex binis nostris *Sermonem*, quem indicante mihi viro docto et amico *Jac. Morellio* Bibliothecae D. *Marci Venetiis* Praefecto in *Scip. Maffaei Osservazioni letter.* T. VI. *Veronae* 1740. p. 232. deprehendi. Docuit idem *Morellius*, agi de hoc *Sermone* a *Barth. Perazzino* reproducto in Opere *dei Santi Veronesi* a. 1786. *Veronae* in lucem dato ab erudito Canonico March. *Dionysio.* Quoniam vero Codex noster in non paucis ab Exemplo